





Q. D. B. V. 1716, 24 37  
DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA, 38.

# JVRE JVRANDO IN LITEM.

*Quam*

DIVINO NUMINE ANNUENTE,  
IN ELECTORALI ERFURTENSI ACADEMIA,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,  
DOMINO

PHILIPPO VVILHELMO,

S. R. I. COMITE de BOINEBURG,

SACRÆ CÆSARÆ ET REGIÆ CATHOLICÆ MAJESTATIS CONSILIA-  
RIO INTIMO nec non METROPOLITANARUM ECCLESIA-  
RUM, MOGUNTINÆ & TREVIRENSIS CANONICO CAPITULARI SENIORE, &  
respectivè SUPRIMO CHORI-EPISCOPO, EMINENTISSIMI PRINCIPIS  
ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIARIO INTIMO, ac CIVITA-  
TIS TERRITORIIVÆ ERFURTENSIS PRO-PRIN-

CIPIE, &c. &c.

P R Æ S I D E

DN. ERNESTO TENZELL, J.U.D.

FACULTATIS JURIDICÆ p. t. DECANO, JUDICII PROVINC. ASSES-  
SORE, AC CIVITATIS ERFURT. CONSULE, ET SYNDICO  
PRIMARIO, &c.

PATRONO ac PROMOTORE ÆTERNUM DEVENERANDO,

PRO LICENTIA,

SUMMOS IN UTROVQUE JURE HONORES & PRIVILEGIA DOCTO-  
RALIA CAPESSENDI,

IN AUDITORIO JCTORUM MAJORI

Die 29. Augusti, horis confvetis

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SISTIT,

JOHANNES PHILIPPUS TALHEIM,  
SAXO-GOTHANUS.

ERFURTI, Typis JOH. MICHAEL. FUNCKII, An. 1716.



DISSERTATIO IN ACADEMIA  
DE  
**JURE JURANDO**  
IN LITEM

QUM  
DIVINO NUMINE ANNUNTIAT  
IN ELECTORALI ERURTENSIS ACADEMIA  
**RECTORE MAGNIFICENTISSIMO**  
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO  
DOMINO

**PHILIPPO WILHELMO**  
S. R. L. COMITE DE BOINBURG  
SACRE CAESAREE ET ROTAE CATHOLICAE MAJESTATIS CONSILIA-  
RIO INTIMO nec non METROPOLITANARUM ROTENSIARUM, MO-  
DUNTINE & TREVIRENSIS CATHOLICI CAPITULI SENIORE, &  
RESPECTIVE SURNAMO CHORI EPISCOPO, EMINENTISSIMI PRINCIPIS  
ELECTORIS MONTANI CONSILIARIO INTIMO, ac CIVITATIS  
ELECTORIS TERRITORIO ERURTENSIS PRO-TRIN-


CHIE, ac  
PRÆSIDE  
**DN. ERNESTO TENZEL, J. U. D.**

FACULTATIS JURIDICÆ, ac DECANO, IUDICI PROVINCIÆ, ASSES-  
SORE, ac CIVITATIS ERURT. CONSULE ET SEN. DICO  
PRÆMIO, ac  
PATRONO ac PROMOTORE ETERNUM DEVEN. RENDO,

**PRO LICENTIA**  
SUMMOS IN LITTORE JURE HONORES & PRIVILEGIA DOCTO-  
RALIA CAPESSENDI  
IN AUDITORIO SUTORUM MARONI  
Die 29. Augusti, horis confectis  
PUBICO AUDITORUM EXAMINE SUSTIT.  
**JOHANNES PHILIPUS TALLEHM,**  
SAXO-GOTHANUS.

ERURT. Typ. Joh. Michael. Fricke. An. 1716.





I. N. D. J. C.



Et quam multa ac diversa immortalige-  
neri bono congesta in jure reperta dari  
remedia, quibus precipue partibus litigantibus in foro civili commode potest subveniri, ne in infinitum, uti haud raro maxima interdum cum bonorum partis aetura, lites distrahantur, memo nisi illorum plane expers sinistre sentiet, ad qua-

autem nec minus istud, quod dicitur, *Juramentum in litem*, quam opus me referendum, quis nam sanus repugnet? Cum igitur modo dictum saluberrimum remedium precipue in judicio forensi magnum in se foveat usum, opera eo magis pretium erit ut ad exercendas ingenii mei vires, & quidem in modum inauguralis disputationis, quippe cujus finis nunquam iste, ut aliquid novi aut inauditi in medium profertur, sed multo magis illud, quo ab aliis prius edocti fuerimus in se continere debeat, de illustri hac materia suffragio divino paulo fusius peragenda, quantum in me non detrectem.

CAP. I.

Antequam autem ad accuratorem nec satis hujus laudandae materiae deductionem pedem adferam de nominis prius derivatione,



103  
tione, cum satis constet, Nomen quasi picturam & caracte-  
rem esse, ex quo ipsa rei innotescat natura, & secundum hoc tri-  
tum, quaestio nominis praecedat quaestionem rei, aliquid mihi  
prius differendum puto, quo hac perspecta eo feliciori scire ad  
reliqua progressum facere possimus. Etymologia hujus vocis  
quae Grammatica, vocem longiorem derivat aut breviori ut Justi-  
tiam à justo, sic etiam hic Juramentum à Jurando, & hoc à Jure.  
Juramentum idcirco cum derivationem à jurando sibi adfiscat,  
sciendum ante omnia, quod idem illud sit ac sancte aliquid  
dicere ac si jus esset, unde etiam nuncupatur jus jurandum.  
Vocabuli adjuncti litis hucusquè nulla ratio reddenda est, sed  
multo magis isthoc vocabulo latino, à quo & res provenit est  
persistendum, metonymice a, lis nihil aliud significat quam rem  
controversam in judicio *per L. 1. § 8. ff. de in lit. jur.* hinc nulli-  
bi nisi in Lite & judicio hoc, juramentum habet locum. Ger-  
manis dicitur *Schätzungs-Eyd / oder der Genugthuungs-  
Eyd / wann einer das Seinige nicht wieder bekommen kan.*

CAP. II.

EST E. juramentum in Litera, qua propter intervenientem  
dolus vel culpam adversarii rem non restituentis, aut non exhi-  
bentis, iudice deferente, actor rem quam petit aestimat, seu tanti  
sibi esse obtestatur. *Struv. Exercit. 17. l. 12. tit. 3. ib. 57.* à  
qua definitione *Hahn. ad Wesemb. l. 12. r. 3. de in lit. jur., nec  
non Foerster in proc. judic. tit. 79. de in lit. jur.* ne latum un-  
quem recedunt. Ex qua definitione me non multum circum-  
spiciente & illustr. Juriscons. hanc materiam concernentes non  
magno opere evolvente, illic apparet, quoniam sit persona in-  
termedia hujus juramenti; & illa est Iudex, dicitur enim expres-  
se, Iudicis esse officium hoc juramentum deferre, hinc inde ad  
hanc opinionem, prout quam sapientiae apud hujusve materiae  
expertes contingere solet non tam facile demniendum, ac si per  
idem sit, an pars, prout in aliis juramentis, an Iudex delationis  
munere fungatur, sed neutiquam secundum definitionem ho-  
stram L. L. fundatam Iudicis delatio aut interpositio debet negli-



gi, aut præteriri, *L. videamus 4. §. deferre ff. de in lit. jur. Brunnem. ad A. L. XII. tit. 3. de in lit. jur.* Nam si alius hoc fungitur munere nulla contingit religio, p. l. 4. §. deferre ff. de in lit. jur. hinc etiam Notarii plane excluduntur, & indigni quasi hoc munere redduntur *Foerster alleg. 1. alibi quidem legitur quod Notarius admittatur præcipue apud Bald. in d. L. videamus §. deferre ff. de br. jur.*, sed hoc non aliter fit, quam si cum mandato compareant Judicis, inde esluit quod sua voluntate absolutè, & sine præcedente instructione Judicis hoc subire minime queant. Potest quoque hoc juramentum a parte Parti deferri autore *Alexand. post Glosf. & Bart. in L. videamus §. 1. ff. de in lit. jur.* sed non secus quam si quæstio adest pro quo quanto nollet re carere, quæ *Alexand.* sententia rebus sic stantibus nostræ supra enarratæ necquicquam derogat. Sic tamen non erit formaliter juramentum in litem, sed potius judiciale, *Stryk Us. mod. Pand. Tit. de in Lit. jur. §. 5.* Videri quidem posset parvam differentiam inter juramentum in litem & necessariam contingere, cum utrumque in foro à Judice ob rem controversam deferatur, & per consequens facile ad multivari- as istas distinctiones, quæ hic occurrunt, destruendas, quippè quæ nil quam confusionem pariant, in unum posse conjici & conjunctim tractari. Sciendum autem, juramentum à judice quidem in judicio; nec non in rebus controversis similiter deferri, sed bene notandum hoc maximè in rebus dubiis, & ubi probationum inopia haud procul distat locum sibi vindicare *per L. 31. de jur. jur.* Econtra juramentum in litem non inopiam probationum sed rei æstimationem respicit. In juramento porro necessario pro regula habetur istud juris brocardicum: Actore non probante Reus absolvitur, sed hoc in juramento in litem illud non procedit, ubi, Actor licet jurare nolit, Reus non statim absolvitur, si modo velit esse contentus esse æstimatione communi. *L. 7 1. de RV. L. 2. C. b. Balthar. in not. h.* Hinc inde nec pro specie quidem juramentum in litem juramenti necessarii habendum, bene tamen pro specie decisorii juramenti, de-





ciditur enim sic lis re ab adversario non restituta per juramentum  
in litem *L. 1. ff. de*

CAP. III.

Causam nostri hujus juramenti in litem ex definitione iterum aperte constare, cuiuslibet introspicienti sufficienter occurret, quando illa dicit, si adversarius vel Reus contumaciter aut dolo seu culpa rem vel non exhibet, vel non restituit, aut dolo vel culpa ejus factum quo minus vel exhiberi vel restitui possit. Sequitur ergo quod dolo vel culpa à parte Rei rem possidentis debebat adesse. Appellatione doli intelligitur sepe etiam culpa lata, & haud inique cum lata culpa in jure æquiparatur dolo, scilicet in causis civilibus, si non ad poenam sed ad interesse civiliter agatur *vid. Struv. de ib. 65. Duar. in L. 5. n. 33. in f. ff. eod. quam culpam aut dolum à judice tanquam persona intermedia prudenter prius ponderari atque examinari debere convenit, alias enim in minimis ut & levisimis Actor pro arbitrio hoc juramento uti possit, quod neutiquam admittendum, sed talis dolo in adversario elucere debet qui magni momenti. Verbis quam paucissimis admonendum hic puto cum Hahn, h. quod hoc juramentum, quatenus affectionis æstimationem habet semper non deferendum *Jason & D d in C. 6. §. præ. l. 7. Argem. 10. §. 1. de eden.* quia non sine magna causa pro ut verba ipsius sonant permittendum Actori ut pro suo arbitrio litem æstimet, ac Judex quodammodo fiat in causa propria. Cum igitur in culpa tantum levi hæret possessor non in dolo æstimationo litis minime ab Actore ad suam affectionem, sed à Judice ex veritate definienda *L. 4. in f. de. habet sic hoc juramentum unice uniceque locum cum jussus exhibere vel restituere rem quam suam esse intendit Actor, possessor dolose aut contumaciter ante dicto modo negligat.**

CAP. IV.

Originem hujus juramenti si perpendere volumus Jure Civili de illo nullum obstaculum invenimus ob æquitatem fuisse introductum, supra enim jam perspeximus quod semper Judex pro



pro suo arbitrio & secundum æquum & bonum isthoc juramen-  
 tum deferre debeat ; ex quo elucescit , in Reipotestate min-  
 imè situm esse , id ; quod Actori interest resti ui vel exuberi , ex-  
 torquere , & retinere per dolum simplici aut nullius exhibitione  
*Hahn, ad Wesenb. hi. & ibi alleg. l. 8. hi. l. 70. de RV. & l. 9.*  
*rerum annot. Buchov. de Act. disput. 7. th. 10. vers. porro.*  
 Notandum v. quod licet ad normam æquitatis hoc juramentum  
 Judex debeat dirigere , minime tamen taxationem , prout alii  
 suadeat semper intervenire necesse sit. Quippe qui hoc juramen-  
 tum dividunt in taxatorium & æstimatorium, quæ appellatio ta-  
 men mihi non placet, cum taxatio non sit æstimatio, qualis æstima-  
 tur, sed est Judicis qui à lite æstimata potest recedere absolvendo  
 vel minoris condemnando *L. 5. §. 2. ff. de in lit. jur. & an-  
 te præfinire certam summam usque ad quam juretur L. 4. §. 2.*  
*ff. de in lit. jur.* Quod juramentum , si dicendum quod res  
 est, solummodo ex affectione præstatur , quam affectionem ju-  
 rantis Judex ad æquum & bonum uti jam monitum , omnino di-  
 rigere debet.

CAP. V.

Quo ordini nil detrahamus in duas porro hoc Juramentum  
 in Litem juxta plerorumque approbatissimorum Juris conf. opi-  
 nionem dividimus species , quarum una dicitur *Affectionis*, al-  
 tera *Veritatis*. Sunt quidem nonnulli, qui cum *Jasone Menu-  
 chio*, & *Ploto* nec non aliis in illam concidunt opinionem , ter-  
 tiam adhuc adjici debere , sub nomine specialis interesse extra-  
 rem ; E contra *Corasius* , nullum aliud cum *Giphanio in rr. de*  
*Divis. jur. thes. 169.* agnoscit Juramentum in Litem , quam quo  
 utilitas Actoris æstimatur, sive id quod ejus interest restituitur,  
 illud à iterum affectionis videlicet rejicientes , & quidem ex hoc  
 fundamento, quia nusquam LL. ejus mentionem faciunt. Ma-  
 le ; licet enim verba illa juri sint incognita, res tamen plana est, ut  
 cum *in d. l. 1. ff. h. t.* dicitur rem æstimari per jus jurandum in li-  
 tem ultra rei pretium , hoc vi ipsa dicitur ex affectu jurantis rem  
 plus esse quam valeat. *L. 8. eod. l.* Præter hæc non pauci de illis  
 qui



qui contrarium exacte demonstrarunt reperiuntur, inter quos  
*Duar. ad L. 5. h. i. Borcholt. c. 2. eod.*, qui posterior in suo tracta-  
tu de in Litem jur. multum tractavit, fundamēta autem ejus  
maximè ex *L. 2. §. 1. ff. d. in lit. jur.* defumit, ubi Paulus inquit,  
interdum quod interest agentis aestimatur, veluti cum culpa non  
restituētis vel non exhibētis punitur; cum v. dolus aut con-  
tumacia non restituētis vel non exhibētis, quanti in Litem  
juraverit Actor. Ex quo Responso Borcholt colligit & haud in-  
juste, Jusjurandum in Litem duplex esse. Omnes nunc, ut dicam  
quod res est, tam diverse opinantes modo recensiti, cum maxi-  
me in natura hujus Juris Jurandi discrepent, & illam non recte  
secundum *LL.* & earum aequitatem examinent, non mirum,  
quod tales, inutiles dissensus inter illustres interdum Viros nobis  
obveniant, quamobrem seposito omni metu has adversas opi-  
niones quantum in me etiam respuo, & cum celeberrimis *DD.*  
*Wesembecio. Brunnem. & sexcent. aliis*, quippe quorum tracta-  
tibus de hac materia isthae variae opiniones funditus existunt refuta-  
tae, ad illam divisionem duo haec saltem membra in se conti-  
nentem scilicet *Affectiois & Veritatis* me remitto.

CAP. VI.

Quod nunc Juramentum in Litem Affectiois attinet & qui-  
dem juxta definitionem nostram, definitur illud, apud Förster  
*Alleg. l.* quod sit quod Actor pro suo arbitrio & affectioe etiam  
ultra rei pretium praestat, ut in eam aestimationem Iudex adversa-  
rium condemnet. Cui definitioni subscribunt *Hahn. & Struv.*  
*cit. l.* & licet ibi Lex videatur ob stare 33. ad *L. Aquil.* sciendum ta-  
men quod ibi non de restitutione rei debitae quae per dolum alteri-  
us non sit restituta sed de damno simplici dato alterius nobis  
obveniente; Non igitur per affectioem aliquam res de cuius  
affectioe non agitur, ultra verum pretium potest aestimari, sed  
secundum actionis naturam ex *L. Aquil. aestimatur Struv. d. l. It.*  
*L. pretium rerum §. 3. ad L. Falcid.* nam ibi dicitur de aestimatio-  
ne rerum in genere, non de aestimatione, quae fit quando alter do-  
lo non restituit. Breviorem viam in definiendo sequitur Schno-  
bel.



bel. in Dissertatione lIX. thes. 24. hoc vocabulum apponit, in infinitum; Dicens: Juramentum in Litrem affectionis est, in quo exceditur verum rei pretium & Actoris affectioni in infinitum rem quam amittere quasi cogitur aestimare indulgetur. Respicit E. uno verbo quoad hoc juramentum ad interesse agentis, quando scilicet Reus rem Actoris neque restituere neque exhibere vult, aut culpa sua facit rem restitui non posse. Quenam culpa autem hic maxime consideranda, cum aliunde satis constet, apud Wesenbec. & multos alios, uti supra demonstratum fuit, nulla alia culpa quam lata intelligenda occurrit, nam illa in jure secundum Schnobel. cit. l. ad L. 2. & ibi Cujac. C. cod. Donell. 26. com. 9. Duar. in l. 5. n. 33. in f. ff. cod. æquiparatur dolo; minime culpa levis, licet apud Wesenbec. culpa simpliciter mentio fiat, omisso vocabulo adjuncto levis vel late, sic nullum alium in se continet sensum, quam quod loquatur de culpa levi, ob quam juramenti delatio non habet locum; Longe secus vero sese habet cum culpa lata, quæ dolo æquiparatur, alias enim iste dolus aut culpa contra naturalem æquitatem & rationem prodesset Reo L. 1. de doli exc. pr. & maneret impunitus. Defert ergo Judex juramentum, Actor vero facit æstimationem & ne uti plerumque fit, nimia iniquitas in æstimatione interveniat, cum alias interdum in majus, interdum in minus jurari queat, juxta conscientiam Judex modum in jurejurando præscribit, ut intra certam, quantitatem juramentum præstetur; cum enim ex affectione saltem juretur, Judex hanc affectionem ad normam æquitatis ponderat, & hoc ex officio, alias enim altera pars per facile ad perjurium invitaretur. Affectio autem quæ hic versatur præcipue hujus generis esse debet, ut conjunctam utilitatem habeat, vel alias saltem probabilis sit, ut est in casu l. 4. L. si in empr. 35. ff. de minoribus. Inreresse proprie circa hoc juramentum in mora consistit, cum libentius ob istam moram centum aureis Actor carere velle juret; quam quod illa res ei non fuerit restituta. An autem Judex isthac æstimatione persistere, & non alium modum, ut Actor ad rem suam iterum perveniat, adhibere possit

B



possit, non dubium est; nam quod rem ipsam attinet Iudex manu militari illam vi suae quam habet Jurisdictionis auferre potest, ultra illum modum enim licet res adhuc extet, tamen quia Actori non restituitur, aut per dolum aut contumaciam restitui nequit, Domino tunc quasi necessitas vendendi imponitur, & pro arbitrio illam rem aestimandi facultas conceditur. *L. 8. si cum Dos. §. fin. cum L. seq. ff. rerum amot.*

#### CAP. VII.

Longe aliter sese habet cum juramento *Veritatis in Litem*, nam tunc res plane non amplius existit, & unice uniceque ad verum rei pretium ibi respiciendum, quod tunc in iudicis arbitrio minime consistit, an velit an nolit, sed eogitur certis ex causis illud deferre. Est autem Juramentum in Litem Veritatis, quod ex vera est aestimatione citra affectionem, quanti res revera erat, ubi culpa res interit, vel deterior facta. *L. 5. §. ult. l. 2. §. 1. C. 2. Bachov. ad Treutl. vb. II. tit. Stück. 1. conf. 4. n. 547.* qui tria hujus juramenti requisita statuit 1.) factum debitoris, 2.) ut res plane, ipsius facto non amplius extet, & 3.) ut illius verum pretium aliunde quam per illud jusjurandum haberi non possit: Quod primum attinet requisitum, illud dicitur factum debitoris, & per id nil aliud quam moram aut culpam in re non restituenda vel exhibenda intelligi existimo. Notandum vero quod sub hoc vocabulo culpa ratione juramenti nostri veritatis, etiam comprehendatur culpa levis, autore *Struv. d. l.* qui ita dicit: Juramentum Veritatis defertur, quando ob moram, aliamve culpam etiam levem, adversarii res interit, aut deterior facta, adjunct. *L. 2. §. 1. l. 3. l. 5. §. ult. h. t. l. 68. de R. V.* Alterum v. requisitum aut eausam hujus juramenti Veritatis quod attinet, res non amplius extans requiritur, quod pro proprio Juramenti Veritatis, apud *Franzk.* habetur & quidem *l. XII. tit. 3. de in lit. jur.* Nam si res adhuc extaret, possem illam repetere, cum autem non amplius extat, repetitio etiam cessat, & loco ejus juramentum in litem defertur. Quoad tertium requisitum nimirum quod Actor ceteris omnibus  
pro-



probationibus ratione habitæ suæ æstimationis debeat esse destitutus priusquam ad hoc iuramentum accedat non est negandum hoc maxime necessarium esse ad Iuramentum Veritatis; Quinam autem æstimatio circa hanc rem non amplius extantem proprie competat certissimum est, quod unice uniceque contingat Actoris? Iudex enim non quidem per rerum naturam ut Franzk. loquitur *dist. L. XII.* sed per jus & ex officio suo, sine injuria vel actoris vel Rei tale quid minime subire potest, bene tamen taxationem ratione æstimationis à parte Actoris factæ præmittere, tenetur. *Secund. Jason. Salicet. in l. si quando C. unde Vi. Borcholt. c. ult. n. 4. Richter. d. Decis. 58. n. 43.* in quam taxationem judicialiter quasi confirmatam, tunc Reum à Iudice prius condemnati debere convenit; *Menoch. cas. 202. n. 5. Rosbach. in Process. tit. 69. n. 8.* Præter hæc Iudex in omnibus ita secundum LL. procedere debet, ut in condemnationem à parte qua sitam tam derepente descendere minime queat, si aliud remedium verum pretium perscrutandi ei supersit, aut ad minimum non ignoret, expeditiorem probationem ratione æstimationis à parte ipsa exquiri, quam per iuramentum illud extorqueri possit, *Schnobel. alleg. l. 2. §. 1. ff. eod. l. l. 68. ff. de R. V.* nullo enim de his jam recensitis remediis superexistente, tunc ad istud prius recursus patebit, & dicitur ex necessitate id fieri, *Beyer. ad ff. l. 12. tit. 3. b.* Tandem etiam sciendum quod Iuramentum Veritatis in omnibus iudiciis indifferenter sive sint b. f. sive stricte juris locum sibi vendicent, asserent? *Carpz. Proc. tit. XII. art. 4. Hugo Donell. in pralud. §. ad l. 1. n. 5. 6. & 8. & ad L. 5. S. ult. n. 20. & 40. ff. de in Lit. Jur.*

CAP. IIX.

Cum jam supra perceperimus quis hoc iuramentum deferre possit, ulterius in perscrutando subiecto & quidem activo, cui scilicet hoc iuramentum deferendum sit procedendum esse ordo quasi præcipit; Quamobrem rescisis omnibus ambagibus ad illud me confero & evolutis de hac materia paulisper Juris. con-



sult, scriptis mihi statim obveniunt illæ personæ, quæ litis seu actionis sunt Domini *Argm. L. 16. §. 3. de pign. 18. pr. de dol. Bachov. de Altion. D. 7. th. 16. p. 74.* nemo enim actiorem propinquitatem verantis interesse deducere alias capax est; utpote qui suo nomine litem contestatur, nam æque etiam dicitur Dominus, hinc Procurator, cum non suo sed alieno nomine agat, & ne quidem sit Dominus proprie actionis juxta *Argm. l. vulgo 7. ff. ht. rejicitur, Lauterb. Coll. Th. P. 2. tit. de in lit. jur. th. 10.* licet litis Dominus dicatur *in l. 22. & 23. C. de Procurat.* scilicet improprie, & quoad processum, quod tamen hodie & quidem extra Sax. videtur mutatum *reße Gail. de pign. c. 18. n. 1. Ord. Cam. p. 1. tit. 66. Busius ad L. 7. inf. b. q.* si scilicet hoc fiat mediate, mediante scil. speciali Mandato. Ob supra allegatam & quidem eandem rationem haud obscure etiam Curatores, & Tutores huc referendi, nam agunt nomine non suo, sed nomine pupilli, grave enim esset prout *Struw. Exercit. 17. th. 61.* innuit illos ignorantibus & invito, sub alieni pupilli vel adolescentis compendii emolumento perjuri periculum subire, admittuntur tamen, si tantam affectionem pupillo suo vel adolescenti præstare volunt ad jurandum *d. l. 4. pr. ff. b. r.* cum Domini tunc loco habeantur *L. 27. de administr. tut. l. 7. §. 3. pro emtor. L. 56. §. 4. de furt.* Talem sensum tamen hoc juramentum ratione Tutoris seu Curatoris in se fovere debet, quod illud Juramentum pupilli nomine concipiendum sit, quo tutor jure t. se, si pupilli loco esset tantam rem æstimaturum fore. *Barr. in d. l. 4. pr. n. 6. Mev. ad L. 9. ht.* Admittitur porro ad hoc juramentum nec minus adolescens, qui suo jam nomine litem contestatur, & quidem si velit *d. l. 4. pr. ff. inf. b. r.* & licet secund. *L. 2. C. qui legit. pers. standi in judic.* consentiente quidem tutore vel Curatore litem excipere aut inchoare teneatur, tamen ipse potius quam Curator secundum *Habn. b. r.* illam experitur, quod aliter sese habet cum pupillo, qui omnia tutore autore agere tenetur, ratio est, quia vim jurisjurandi adhuc non intelligit. Prohibetur etiam Mater pro pupillo, etiamsi velit *d. l. 4. pr. Struw. th. 61.* bene tamen potest jurare tanquam

tutrix



cutrix legitima. *Borcholi. in suo tract. de in lit. jur. c. 3. n. 21. Um-  
 minus Disp. 20. th. 2. n. 7.* Tandem etiam hæredes non arcentur  
 ab hac potestate, & non de defuncti sed sua affectione jurant. *Ni-  
 col. Noal. de transmiss. c. 84. n. 15.* & sufficit eos ab aliis compa-  
 rare hujus rei notitiam unde de credulitate jurant. *Job. Bapt. Plot.  
 tr. de in Lit. jur. Berlich. p. concl. 55. n. 10. Umminus d. l. §. qua  
 constit. dependet. à LL.* hinc recte Bachovius inquit *innot.* quod  
 facultas ejusmodi quæ à L. alicui conceditur in hæredes sit transfi-  
 toria, & Hahn, consentiens haud immerito adjicit dicens: hæc  
 principia à natura LL. desumpta esse, quia Lex semper loqui solet  
 tam de tempore hæredis quam de tempore defuncti, & conse-  
 quenter ita respiciat personam heredis sicut defuncti; Certissi-  
 mum est, quod facultas jurandi in LL. sit fundata, quæ facultas  
 utpote qualitas actionis ejus quam habuit defunctus, fuerit in  
 eodem, ideoque & transeat ad hæredes *Hahn. ad Wesenb. d. l. &  
 ibi alleg. Nicol. Noalis de transmiss. cap. 54. n. 2. & seqq. Plato  
 de tr. §. 29. Stück. I. Conf. 1. n. 514.* Econtra si defunctus jam  
 delatum susceperit id pro præstito habendum. *Hahn. cod.  
 tit.*

CAP. IX.

Cui bono hoc jus jurandum proprie introductum cum  
 jam jam dictum sit, nunc è re nostra erit ut in subjectum passiv-  
 um, adversus quem illud usurpetur cursum nostrum dirigamus.  
 Inspiciendo paulo accuratius ex definitione facillime constat,  
 quod illa persona sub subjecto passivo præcipue intelligatur quæ  
 dolum commisit, qui ob suam moram (quippe quæ uti suffici-  
 enter iteratis vicibus demonstratum, non tantum æquiparatur  
 culpæ, sed & delicto & dolo *per L. 4. ff.* Nam mora præsupponit  
 dolum vel latam culpam *Bart. L. quod re in Glosf. in f. ff. si  
 certum petatur unde & moram committens cum fure æquipara-  
 tur L. 83. ff. pen. de V. O.)* in non restituenda vel exhibenda  
 re ab Actore juramentum in litem contra se deponi pati tenetur;

B 3 nec





nec Princeps quidem qui dolum commisit alteri hoc privilegium  
jurisjurandi adimere potest. *Benckend, n. 66. 71. Barbos, ad  
L. f. C. b. n. 4. §. 7.* Annon vero si quis spoliatus contra  
principem aut quemcumque territorii Dominum hoc jurejurando  
uti possit. *Hahn. §. ibi alleg. Gail, 2. obs. 64. n. 9. & Myn-  
sing, §. observ. 71.* omni nisu obstrepunt dicentes : Do-  
minum territorii hic quidem esse in culpa, sed saltem ratione cu-  
stodiz, ut itinere tuta curet, delictum enim ipse non commisit,  
ergo etiam hic modus contra illum per se cessat. Alias neque  
Pater neque Mater, neque etiam Frater hoc in passu excipiuntur.  
*Lauterbach, h. t.* Tutor nec minus à præstatione hujus juramenti  
ratioe non confecti inventarii in bonis pupilli liber redditur, sed  
similiter si renuit juratam specificationem, hoc juramentum  
contra se præstari perferte cogitur. *Richter, in Dec. 58. n. 43,*  
qua serie & contextu allegatus Autorita Araftadiensi Gubernati-  
oni responsum fuisse m. Decbr. anno 1614. prodit, his verbis :  
Daß Beckl. in Ermangelung eines richtigen Inventarii ver-  
mittelst Eydes ein Verzeugniß aller Güter liegend und fah-  
rend / so wohl in der ausstehenden Schulden / welche seiner  
Pfleg-Tochter Ruhme/Margaretha Seiders / hinterlassen/  
und zu der Zeit vorhanden gewesen / als ihm die Verwal-  
tung der Vormundschaft befohlen worden / zu überreichen  
schuldig / in Verweigerung dessen / ist Klägerin mit dem aner-  
bothenen Juramento in litem zulässig. An vero adversus  
heredes hoc jusjurandum absolute procedat & quidem de-  
functi plurimi Autorum nostrorum maximo cum strepitu & ap-  
plausu refutant, & haud inique cum satis constet ex Juris nostri  
brocardico, quod delicta debeant tenere suos autores, & cum  
dolum ad delicta referendus & habeatur pro casu personali qui nun-  
quam transit ad heredes, ultra hocce etiam hæres contumacis ca-  
ret omni dolo *L. fm. C. h. t.*, quomodo pœnam ex isthac conse-  
quentia, quæ per juramentum in litem doli ergo imponitur  
*argm. L. 8. in f. h. t.* hæres sustinere potest? *argm. L. 22. C.  
de pen.* Hoc quidem sensu quam utilissime acceptatur, quod  
etiam



etiam Juramentum in litem adversus hæredes procedat si lis cum defuncto jam jam fuerit contestata *L. alio jure 4. C. bl. 58. de O & A.* Nam tunc sine omni dubio ob celebratum in judicio contractum, qui semper ad hæredes devolvitur, locum habet nam facta hoc in passu defuncti ab hæredibus sunt adimplenda; Quod licet *Bachov, ad Trentl. d. 21. th. 10. g. v. illud e-*vertere conetur, dicens, quod per celebratum istum contractum litis contestationis actio quidem transitum suum ad hæredes sumat, minime vero poena contumaciæ. *Hahn, v. ac Wessenh. ad l. 4. C. de O. & A.* satis luculenter illum restringit, & cum summo applausu contendit, facultatem hanc jurandi concessam *L. 8. h. r.* in poenam contumaciæ (quæ hic non corporis afflictiva, sed restitutio rei aut ejus æstimatio) in hærede obtinere commode posse. Per *dict. l. unic. C. ex delict. defunct. juncti, S. 1. l. de perpet. & tempor. act.*

CAP. X.

Ordinis conjectura ad objectum hujus proficui remedi descendimus, & prout in sua exercitatione Richter cit. l. & multi alii innuunt huic materiæ faventes, consistit illud pure & absolute in Re in judicium à parte deducta. Per quam rem autem præcipue isthæc intelligenda obvenit, quæ neque corporalem neque incorporealem, mobilem, neque immobilem respuit. Judicium vero in quo hæc res inclarescit & ventilanda, nec non decidenda producitur, ante omnia, uti nec multo ante jam audivimus, æquitatis normæ alligatum esse decet, cui æquitati ob magnam obvenientem invicem affinitatem arbitrium in jure comparatur; Et ita hæc duo tanquam maxime necessaria istiusmodi fori ac judicii propria conjunctim requiruntur. Objectum nunc modo relatum hujus juramenti, cum in re absolute consistat, quantum in me amplius disquirere haud absonum putato, an sub hac re etiam nummi, res in deliciis habita, aut servus, qui *L. 2. ff. ad L. Aquil. quadrupedibus æquiparabatur*, comprehendatur? Mea sententia nullum de his recensentis





exemplis exclusionem admitto; Nam quod nummos attinet, licet paucissimi Juri hic assentiant, sed contrarium ex *L. 3. ff. de re. ex hoc fundamento multo magis affirmare nituntur, quia numerorum nulla est æstimatio, Brunnem.* tamen quam perspicue ostendit *ad ff. ad d. l.* quod aliquando etiam nummi in illam considerationem descendant, puta hac sublimitatione si vetus & antiqua moneta, ob antiquitatem chara apud aliquem deposita sit, & ad restituendum agatur, quod & verum totoque die in praxi similiter occurrit v. *Stryck. us. mod. Pand. b. t. in lit. jur. §. 2*

### CAP. XI.

Actiones porro in quibus hoc jusjurandum locum habet, communiter bonæ fidei vel arbitrariæ esse debent *L. 5. pr. ff. b. & quidem primario secundum Brunnem. b. t. & multos alios ubi de restituenda vel exhibenda re quæstio exurgit l. 1. pr. ff. b. t.* Est autem actio empti venditi similiter bonæ f. & tamen non admittit juramentum in litem: Hæc enim regula Generalis restrictionem à præcedentibus capit & quidem apud *Struv. thes. 63. h. r.*, agitur enim ibi de actionibus in rem, quæ rei restitutionem continent, in hac autem actione neque de restitutione neque de exhibitione Sermo nascitur, & consequentia hinc inde ex isthoc argumento multo absona videretur. Actor enim qui jurat in litem rem suam reo vendere dicitur *L. 7. §. 1. de publ. in rem action.* at emptor qui agit ad rem tradendam non potest rem quam sibi vult tradi reo vendere, quia reus rem suam emeret, quod autem fieri nequit, cum suæ rei emptio non valeat *L. 26. de contrab. empti.* Sic visum fuit Azoni in summa aurea lit. cui ad stipulati sunt *Fulgos. & Alberic. de Rosate in b. l.* His assentit *Brunnem. Hahn. Donell. Covassus & reliqui*, nam nuspiam reperitur in actione emti, re non tradita in litem juratum, sicut de aliis legitur, ut depositi *L. 1. §. 26. depositi. Commodati L. 3. §. 2. commodati*, ut locati *L. 48. §. 1. locati. Brunnemann.* dicit in contrariis actionibus similiter hoc juramentum obtinere præpriis si res obveniat in quam cadat affectio, v. g. melio-



meliorationem separabilem de qua Plot. in repet. L. si quando  
 C. unde vi §. 20. n. 1. Cx. def. 19. in f. Rauchbar. P. I. q. 9.  
 n. 32. & quos plures Brunnem. in d. l. adhuc. allegat. Con-  
 trarium illud quod Struv. d. l. adjungit, in quo scilicet jus  
 jurandum non usurpandum, denotat stricti juris judicium,  
 præterquam si per accidens fiat arbitrarium L. 5. §. f. b. t. l. 3.  
 §. 3. Commod. Sed secus sese habet cum Juramento Veritatis  
 quod hic omnimodo adhibendum L. 5. §. 1. si quid in fraud.  
 pat. l. 8. §. 1. seq. rer. am. ibi enim juramentum in litem datur,  
 & tamen sunt actiones stricti juris, textus autem hic loquitur,  
 uti demonstravi, absolute de juramento Veritatis, non  
 vero Affectionis.

CAP. XII.

De Juramentis tanquam remedio in jure extraordinario,  
 quod cessat si ordinarium potest adduci, in genere tam ex  
 theoria quam praxi satis constat, qualem effectum foveat.  
 vid. E. bach. ad Carpz. P. I. Consk. 8. def. 15. Quamvis aliter sese  
 res habere videatur ubi probatio legibus imperatur. L. 25. §.  
 3. ff. de probat. vid. Berger. Oecon. jur. Lib. 4. Tit. 25. not. 1.  
 p. 1086. Sicuti nunc in genere ita & in specie tanquam à ma-  
 jori ad minus talem effectum etiam in juramento in Liteffi  
 addiscimus; Qualis ille autem sit, docent multi de hac materia  
 tra lentes autores practici, nec non quotidiana observantia.  
 Quod Autores attinet, referunt diversos Lauterbach. & Brun-  
 nem. ad b. l. Juramentum igitur in genere, si semel delatum &  
 præstitum in eadem causa nil novi amplius excitari potest,  
 quod ita quoque se habet in juramento in specie, de quo  
 agimus, addito hoc saltem speciali, quod supra ostenden-  
 dum omisimus, quod actor damnum per vim expulsi-  
 vam vel ablativam illatum in foro Saxon. possit æstimare ac petere,  
 ut reus summam istam solvat aut juramento eam minuat, quæ  
 vocatur Juramentum minorationis sive diminutionis *ber Mini-  
 derungs Eyd*, in quam summam Reus tunc à Judice condemnatur  
 ut Land. R. l. 3. art. 47. §. 55. constitutum; Notandum vero quod  
 si Reus minorem summam, quam quæ ab actore fuerit quesita  
 probatione possit adducere, sine omni dubio ab onere jurandi  
 C libe-



liberetur *vid. Struo. h. r. th. 70.* Omnia porro legalia quæ circa hoc juramentum minorationis occurrunt bene sunt observanda, maxime autem quod Reus post litem contestatam isto non possit uti, cum illud exceptionem præcedat, nam si semel his fuerit contestata, non amplius hæc exceptio valet *O. Pr. Sax. Elect. tit. 31.* Præstito vero Juramento in Litem condemnatur Reus in tantum quanti ab Actore fuerit juratum *Lauterb. & Foerster. alleg. l.* nec facile etiam rescisso Juramenti hic locum recipit, præcipue in Juramento Veritatis, nam ante quidem hoc Juramentum præstitum Judici licet arbitrium suum in æstimando & taxando interponere, neatiquam vero si illud præstitum sit. *Brunnem. d. l. Busius in L. 4. hi.* Longe diversa ratio est Juramenti Affectionis, ubi tam ante quam post præstationem probatio in contrarium admittitur, ex quo autem, monstrante Brunnem. nullum perjurium detegitur, sed affectio immoderata reprehenditur; hoc intuitu nec minima res subesse debet, alias non sine ratione Juramentum suum valorem retinet *vid. Lauterb. d. l.* Per jurium subinde commissum nec facile quoad Juramentum affectionis attenditur, & licet contrarium manifeste repugnet, tamen illud in suo valore & vigore permanet, & Index regulariter in condemnatione sequitur *l. 4. §. 2. 3. l. 5. §. 1. h. t. l. 18. pr. in f. de dol. Carpz. p. 1. c. 27. def. 20.* nisi forte magna subsit causa e. g. si instrumenta noviter reperiantur *Lauterb. Coll. Th. Pr. h. r. §. 22.* Videtur tamen facilius admitti quoad Juramentum Veritatis, Reum ostendere Actorem rem non recte æstimasse sive probando verum rei pretium, sive probando actoris intentionem falsam fuisse *vid. Lauterb. d. Coll. th. pr. h. r. §. 20.* Queritur vero quales probationes adversus Juramentum in Litem admittendæ? Et probationes per testes vel instrumenta admittendas notat *Carpz. P. 1. const. 15. def. 4.* Sed probationes per testes non admittendas *per L. 4. §. 3. l. 5. §. 2. demonstravit Berg. Elect. Disp. for. p. 848.* Sunt ergo hæc quæ de hac nobilissima materia in specimen inauguralis Disputationis communicare libuit. Ingenue quidem fateor, non omnia à nonnullis approbatum iri, sed sciant velim tam ex temporis ratione, tam Institutu Academici, in hac foecundissima materia, ac plane practica mihi non licuisse dicere vel loqui, sed saltem balbutire. Si quis enim pro dignitate hujus thematis omnia hic facientia

con-



congerere & pleniori manu pariter ac accuratiori admetiri se-  
 eum constitutum haberet, illum sane non Dissertationem, sed  
 integros tractatus & ferme immensos Commentarios conscri-  
 bere oportere, nullus dubito. Sic si saltem obiectum patri-  
 lisper reassumamus, vindicat etiam hoc Juramentum in Litem  
 sibi locum non solum in petita Inventarii vel jurata Specifica-  
 tionis exhibitione, sed etiam quaesita editione documentorum,  
 praeripis si petens ipse horum tenorem plane nesciat & multis  
 aliis negotiis. Communiter quidem hic a parte Judicis per  
 mandata poenalia contra refractarios procedi solet, sed quid?  
 si pars in contumacia perseveret, nec morem gerat, poterit qui-  
 dem tunc poena duplicari & triplicari, sed ne tamen in infini-  
 tum sic procedatur, ultimum remedium est ut confugiamus ad  
 Juramentum in litem, atque sic tandem liti & causa consula-  
 mus. Nec tamen mihi persuasum habeo pleraque a me in  
 medium producta esse, admixtis subinde non levioribus circa  
 hanc rem controversiis, quae in praxi quotidiana observantur,  
 atque adeo etiam ipsis rerum argumentis obtineat, quae si usui  
 tuo Mi Lector, ut spero futura sunt, est, de quo mihi gratulor. In-  
 terim summo Numini, quantas quantus possum, ago Gratias pro-  
 largissime hucusque mihi praestito auxilio; Secundet illud por-  
 ro, cepta mea eoque dirigat ut in Sui Ipsius Gloriam; Patriae  
 omnisque boni salutem vergant

TANTUM!



FINIS















ULB Halle

001 972 26X

3



*s. b.*









DE  
**JVRE JVRANDO**  
IN LITEM.

*Quam*  
DIVINO NUMINE ANNUENTE,  
IN ELECTORALI ERFURTENSI ACADEMIA,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,  
DOMINO

**PHILIPPO VVILHELMO,**

S. R. L. COMITE de BOINEBURG,  
SACRÆ CÆSARÆ ET REGIÆ CATHOLICÆ MAJESTATIS CONSILIA-  
RIO INTIMO nec non METROPOLITANARUM ECCLESIA-  
RUM, MOGUNTINÆ & TREVENSIS CANONICO CAPITULARI SENIORE, &  
respectivè SUPREMO CHORI-EPISCOPO, EMINENTISSIMI PRINCIPIS  
ELECTORIS MOGUNTINI CONSILARIO INTIMO, ac CIVITA-  
TIS TERRITORIIQUE ERFURTENSIS PRO-PRIN-

CIPIE, &c. &c.  
P R Æ S I D E

**DN. ERNESTO TENZELL, J.U.D.**

FACULTATIS JURIDICÆ p.t. DECANO, JUDICII PROVINC. ASSES-  
SORE, AC CIVITATIS ERFURT. CONSULE, ET SYNDICO  
PRIMARIO, &c.

PATRONO ac PROMOTORE ÆTERNUM DEVENERANDO,

**PRO LICENTIA,**

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES & PRIVILEGIA DOCTO-  
RALIA CAPESSENDI,  
IN AUDITORIO JCTORUM MAJORI

Die 29. Augusti, horis consuetis  
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SISTIT,

**JOHANNES PHILIPPUS TALHEIM,**  
SAXO-GOTHANUS.

ERFURTI, Typis JOH. MICHAEL. FUNCKII, An. 1716.

